

suam per sacramentum det gratiam, potest tamen illi addere ex sua liberalitate aliam majorem.

CLXIX. Respondetur effectum sacramenti ex opere operato non augeri ex bonitate ministri, quia non fundatur in ejus sanctitate, sed Christi; unde effectus ex opere operato est semper æqualis, stante æquali dispositione ex parte subjecti; de quo S. Thomas infra, quæstione LXIV. art. 1 ad secundum. Potest tamen minister impetrare gratiam suscipienti, impetrando illi dispositionem et motum novum ad gratiam; non tamen impetrare potest, ut sine dispositione suscipientis gratia illi augeatur ex opere operato, quia sacramenta juxta taxatam a Deo rationem operantur, quæ sine miraculo immutari non potest, ut sine majori dispositione major gratia detur.

CLXX. Ad confirmationem respondetur. Probare quod Deus possit, si velit, inæqualem gratiam dare ex opere operato stante æquali dispositione, id tamen erit miraculum, et extra naturalem ordinem sacramentorum. Ex quo patet, quod neque ratione prædestinationis ad majorem gloriam, datur major gratia, nisi detur etiam major dispositio. Et ita neque infantes prædestinantur ad inæqualem gloriam, neque sicut Angeli inæqualiter susceperunt gratiam, quia inæqualem habent naturalem perfectionem, et inæqualem etiam dispositionem, quæ secundum naturalia data fuit a Deo; ita et homines inæqualiter debent gratiam recipere, cum in eis æqualis inveniri possit dispositio; neque ad reparandas illas sedes solum homines sunt prædestinati, cum videatur major numerus esse damnatus ex Angelis, quam ex hominibus, et consequenter plures damnatos ex Angelis quam prædestinatos ex hominibus.

DUBIUM QUINTUM.

IN QUO TEMPORE VEL INSTANTI SACRAMENTA CAUSENT GRATIAM?

CLXXI. Ut difficultatis punctus appareat, notandum est de tribus temporibus controversi posse. Primo, quando nondum suscipitur realiter sacramentum, sed voto habetur, an tunc possit realiter causare gratiam: secundo, quando actu suscipitur, in quo instanti causet physice gratiam, an in extrinseco terminativo sacramenti, vel intrinseco; an vero in tempore: tertio, quando susceptum fuit actu, et ratione obicis non dedit effectum, an recedente obice causet effectum suum. De primo hic non est præsens difficultas, cum manifestum sit sacramentum ante sui susceptionem realem non causare ex opere operato gratiam, sicut neque imprimere characterem; uterque enim effectus realem susceptionem et causationem sacramenti requirit. Dicitur tamen dari effectum sacramenti quando suscipitur in voto, non quia per illud votum, seu desiderium causetur ex opere operato effectus sacramenti, sed quia illud desiderium refert dispositionem, seu contritionem hominis ad sacramentum, et ratione contritionis recipit effectum, non ratione alicujus operis operati, quod tunc detur.

CLXXII. Et præsertim hoc apparet, tenendo quod sacramenta sunt causa physica gratiæ, quia ex opere operato operari non possunt nisi mediante motione, quæ ante realem susceptionem sacramenti operari nequit: ergo cum opus operatum sit alligatam motioni ipsi, et virtuti sacramentali, sitque genus causæ efficientis, non potest ante realem exhibitionem sacramenti, et motionem ipsam realem dari tale opus operatum.

Unde et si aliquis cum sola attritione desideret sacramentum baptismi, aut penitentiae non justificatur; et tamen si haberet illud sacramentum, opus operatum justificaret per talem attritionem. Effectus ergo qui causatur a sacramentis in voto susceptis, est effectus operis operantis, qui habet similitudinem cum effectu sacramenti realiter suscepti; non est tamen realis effectus ejus, et ex opere operato. De tertio vero in sequenti dubio agetur, scilicet, de operatione sacramenti recedente fictione.

CLXXIII. Est ergo in præsentibus controversia de susceptione reali sacramentorum, quando, vel in quo instanti aut tempore causent gratiam. Et præcipue est difficultas de sacramentis quæ in successione consistunt. Nam eucharistia permanenter existit, licet eadem difficultas de illa sit, quando incipit corpus Christi per prolationem verborum, in quo instanti verba operentur, nam in ultimo instanti verba jam non sunt; in toto autem tempore præcedenti sacramentum nondum est consummatum; et consequenter neque assumi potest ut instrumentum.

CLXXIV. Conclusio ergo est, quod sacramenta operantur gratiam non in tempore aliquo determinato vel indeterminato, neque in instanti intrinseco, sed in extrinseco, quo est verum dicere: Nunc sacramentum est perfectum.

CLXXV. Pro intelligentia hujus conclusionis notandum est, quod cum gratia, quæ est effectus sacramenti, in instanti producat, sicut lux; sacramentum autem sit ens successivum, quod non habet esse perfectum et consummatum in aliquo instanti sibi intrinseco, ut difficultas ista superaretur, in varias sententias auctores divisi sunt. Quidam enim operationem sacra-

menti in gratiam salvare volentes, pro ea duratione qua intrinsece durat sacramentum, dixerunt in tempore producere gratiam; quia vero tempus sumi potest, aut determinatum, sicut est inter quælibet duo instantia designata et determinata; aut indeterminatum, ut est illud quod accipitur immediate infra aliquod instans, dixerunt aliqui sacramenta operari gratiam non in instanti terminativo extrinseco sacramenti, sed in eo tempore quod immediate antecedit istud instans.

CLXXVI. Alii vero dixerunt, sacramentum operari in ultimo tempore designato sacramenti, quando scilicet profertur ultima particula verborum; ut videlicet inceptio, seu ultimum non esse ultimæ particulæ, sit primum esse gratiæ; vel etiam (ut alii explicant) quod tota illa prolatio ultimæ particulæ sit productio gratiæ, quia producitur secundum successionem illius particulæ.

CLXXVII. Ex his autem qui existimant conferri gratiam a sacramento in instanti, conveniunt omnes produci gratiam in instanti consummativo sacramenti; sed quidam dicunt produci in instanti extrinseco consummativo sacramenti; alii vero in instanti intrinseco.

CLXXVIII. Et omnium istorum auctorum, præter ultimæ sententiæ assertores, fundamentum fere unicum est, videlicet, quia cum sacramentum in instanti extrinseco jam non sit, et quando non est assumi non potest ut instrumentum ad agendum, oportet quod quamdiu est assumatur; solum autem est in tempore, vel in instanti intrinseco.

CLXXIX. Nihilominus pro intelligentia nostræ conclusionis tria supponenda sunt. Primum, quod nec gratia possit incipere in tempore, nec in illo sacramentum operari: secundum, quod non consum-

matur instanti intrinseco, sed extrinseco: tertium, quod motus, et alia successiva possunt operari in instanti, quo desinunt, ratione inceptions sui termini. Primum probatur, nam omnis inceptio (ut dicunt philosophi in primo et octavo physicorum) vel est per primum esse, vel per ultimum non esse; utraque autem fit in instanti, una in instanti intrinseco inceptionsi, alia in extrinseco; et ita omnis inceptio indivisibilis est, sive intrinsece, sive extrinsece; id enim significatur per nunc, quod in omni inceptionsione importatur: non ergo potest incipere gratia in tempore intrinsece, sive determinatum tempus sit, sive indeterminatum.

CLXXX. Nam si tempus determinatum sit, et signatum inter duo instantia, in toto illo (cum sit divisibile) possunt dari plura nunc: ergo vel in quolibet eorum incipit, vel solum in aliquo; si in quolibet, est impossibile, quia cum unum sequatur post aliud, sicut et ipsæ partes temporis, cum quibus fluunt, postquam in uno incepit, in subsequenti jam non incipit, sed conservatur: si autem in aliquo tantum incipit: ergo non in toto illo tempore determinato potest incipere, loquendo de inceptionsione rigore et physice, sicut nunc loquimur de inceptionsione gratiæ.

CLXXXI. Si autem tempus indeterminatum sit, vel est illud, quod est immediate ante unum instans, ita ut immediate ante instans consummativum sacramenti incipiat gratia; vel est immediate post instans, ita ut dato aliquo instanti sit verum dicere: Immediate post hoc est gratia. Primo modo repugnat gratiam incipere, quia illud immediate ante, nec est primum esse, cum non sit instans, alias essent duo instantia immediata; nec est ultimum non esse gratiæ, quia ulti-

mum non esse dicit instans in quo aliquid non sit et immediate post sit; illud autem tempus, in quo indeterminate dicitur incipere, est immediate ante instans consummativum, non autem immediate post aliud instans, quia si sic daremus duo instantia, unum consummativum, et aliud ante illud, inter ista duo deberet esse tempus divisibile; et ex isto tempore divisibili, id quod est immediatum consummativo non est immediatum alteri instanti ante; alias esset indivisibile id, quod mediat inter utrumque instans, si est utrique immediatum: ergo si incipit gratia immediate ante instans consummativum, non potest incipere immediate post aliud instans ante se; et ita neque incipit hoc modo per ultimum non esse.

CLXXXII. Secundo etiam modo, videlicet incipere immediate post aliquod instans, ita ut non incipiat gratia intrinsece in aliquo tempore ante instans consummativum, sed extrinsece per ultimum non esse, eo modo quo incipit ultima particula prolationis verborum, impossibile est, quia gratia, quæ est forma spiritualis et indivisibilis, oportet quod incipiat per primum esse, sicut incipiunt omnia, quæ per instantaneam mutationem producuntur. Nam ea quæ in instanti fiunt, in eodem instanti incipiunt: ergo in eodem instanti est verum dicere: Nunc est: ergo falsum est dicere: Nunc non est, et immediate post erit. Nam in illo nunc, vel datur actio instantanea productiva gratiæ, vel non: si non datur, tunc actio instantanea: ergo vel dabitur pro alio instanti, et de illo inquiremus quod tunc etiam incipiet gratia, sicut et actio; vel dabitur pro tempore, et non pro instanti, et sic non erit actio instantanea, sed successiva, quod repugnat rei spiritua-

li; si autem in illo nunc datur actio instantanea: ergo et effectus ejus, quia in instantaneis idem est fieri et factum esse: ergo tunc incipit gratia, et non immediate post.

ET HIC PAULO DESIDERATÆ LINEÆ,
DILAPSA IRREPARABILI CASU CHAR-
TÆ PARTICULA.

CLXXXIII. Nec valet responsio Suarez, quod sacramentum non est pure ens successivum, sicut tempus et motus, sed debet signari aliquod instans, in quo sit verum dicere: Sacramentum est, sicut signum est; non autem existere dicuntur sicut successiva, quæ tunc existunt quando aliquid earum factum est, et aliud restat faciendum; sacramentum autem in aliquo instanti absolute est.

CLXXXIV. Sed contra hoc est, quia sacramentum est signum successivum, sicut oratio; et omnem realitatem quam habet, in motu consistentem habet, et in actionibus successivis; forma enim in verbis consistit, et materia proxima in usu, seu actione successiva. Non habet autem aliam realitatem quam suæ materiæ et formæ: ergo nec aliam reale inceptionsione aut definitionem habet, quam motus isti et actiones successivæ, si quidem aliam realitatem non habet. Et deinde, quia absolute et simpliciter, vel est ens successivum, vel permanens: si simpliciter successivum, debet incipere et desinere sicut successivum; permanens autem simpliciter esse non potest, cum id solum sacramentum eucharistiæ conveniat.

CLXXXV. Secundo probatur contra Suarez, quia in illo instanti in quo est verum dicere, quod sacramentum est, vel est tota essentia sacramenti simul, vel aliquid ejus:

non tota essentia sacramenti, quia sic esset sacramentum quod instantaneum et permanens, cum tamen materia ejus, et forma sint quid successivum: si autem in illo instanti existit pars aliqua sacramenti, vel ulterius restat aliquid faciendum de sacramento, vel nihil: si nihil ulterius restat: ergo immediate post illud instans non erit sacramentum, et ita desinet per ultimum esse, et item non incipiet sacramentum esse in illo instanti, sed desinet; cum enim non sit quid instantaneum, non poterit in uno instanti incipere et desinere: ergo ante illud instans jam erat sacramentum, et ita in alio instanti fuit verum dicere: Sacramentum est, quia jam inceperat; et cum in illo sacramentum nondum esset perfectum, quia aliquid restabat faciendum, solum verificabatur esse sacramentum, sicut res successiva, quod negat Suarez.

CLXXXVI. In instanti autem in quo perficitur, ita quod non restat aliud faciendum, non est verum dicere quod primo incipit; alias esset quid instantaneum sacramentum: si autem in illo instanti, in quo dicitur esse sacramentum, restat aliquid ulterius faciendum; ergo non est tunc perfectum, sed solum sicut res successivæ, quæ dicuntur esse quando aliquid est factum, et aliud restat faciendum.

CLXXXVII. Nec valet dicere, quod ante illud instans est imperfecte, in illo vero instanti est perfecte. Hoc, inquam, non valet; tum, quia vel ante illud instans absolute et simpliciter est in rerum natura: ergo non solum habet esse in illo instanti, sed ante etiam habet esse, sed nondum consummatum, sicut omnia alia successiva; si autem non habet esse absolute ante illud instans, currunt omnia argumenta, quia sacramentum solum erit quid instantaneum.

neum : igitur cum sacramentum sit quid successivum, non debet aliter habere esse quam res aliæ successivæ, nec aliter incipere et desinere, nisi evertamus naturas rerum.

CLXXXVIII. Tertium quod proposuimus notandum ex eo patet, quia omnia quæ fiunt per motum necesse est quod ipsis incipientibus motus desinat; sicut enim non est, inconveniens quod quando aliquid primo factum est, desinat fieri, ita et sufficit quod fieri talis rei fuerit immediate ante, et factum esse sit primo in hoc instanti; et ita cum motus sit fieri et fluxus rei, terminus autem motus sit factum esse, oportet quod in instanti quo primo est terminus, non sit motus, sed sufficit quod immediate ante fuerit.

CLXXXIX. Quod et amplius explicatur, quia motus, ut dicitur tertio physicorum non est præter res, ad quas est motus, nec entitative differt a termino motus, sed secundum formalitates diversas, sicut fieri et factum esse. Igitur termino incipiente, entitative manet motus, licet non formaliter; et ita tunc operari potest, non secundum rationem motus et fluxus, sed secundum rationem entitatis jam factæ. Ut enim operetur secundum quod motus, non oportet quod sit secundum rationem motus, sed sufficit quod immediate ante fuerit motus, et jam non sit in hoc instanti motus, sed terminus motus, quia terminus ipse est nunc a fluxu, qui immediate ante erat, et modo jam non est fluxus, sed est etiam terminus; et ita eadem entitas, quæ ante fluebat, et tendebat ad esse, modo jam non tendit, sed habet esse in facto esse.

CXC. Sic ergo non est inconveniens, quod per motum qui immediate ante fuit, terminus modo producat in facto esse; imo id omnino necessarium est, alias non servatur natura productionis per

motum, quæ talis est, ut dum ipse terminus incipit, cesset motus, quia nihil aliud sunt terminus et motus, quam res in fieri, et in facto esse. Et hoc quidem ita verum est respectu termini, qui ab ipso motu naturaliter producitur, et cujus ipse motus est fieri.

CXCI. Cæterum difficile est, quomodo respectu termini, cujus ipse motus non est fieri, id est, respectu gratiæ, quæ a motu, ut ab instrumento elevato producitur; difficultas, inquam, est quando elevatur talis motus, et talis actio sacramentalis, ut producat gratiam, si quidem in termino extrinseco motus et sacramenti jam sacramentum non est, si quidem est verum dicere: Nunc non est sacramentum, et immediate ante fuit: ergo in illo instanti motus ipse non potest assumi ut instrumentum, neque actio illa immediate ante, dum influebat in motu, erat actio virtuosa.

CXCII. Ad hoc Cajetanus infra quæstione LXXVIII, art. iv, ad finem commentarii, insinuare videtur, quod quando sacramentum ipsum est in fieri et in motu, assumitur quoque a Deo ut instrumentum, et accipit virtutem sacramentalem, inchoative tamen et in fieri; in ipso autem instanti terminativo, sicut est perfecta significatio, ita et virtus illa; et ideo tunc operatur. Cæterum non videtur difficultatem effugere iste modus loquendi; cum enim in instanti terminativo jam motus non sit, neque actio sacramentalis, quia in illo verum est dicere: Nunc non est motus et actio, et immediate ante fuit; quomodo tunc perfecta virtus communicatur illi actioni a Deo, ita ut tunc sacramentum perfecte operetur, et si tunc est capax perfectæ virtutis, est et inchoativæ, ita non est necessarium ponere, quod ante suscepit sacramentum virtutem inchoativam, si perfectam

suscipit in instanti terminativo et extrinseco.

CXCIII. Quapropter dicendum est ex D. Thoma, tum quæstione illa LXXVIII, art. iv ad tertium, tum præcipue in quarto ad Annibaldum, distinct. viii, art. v: « Quod virtus illa communicatur sacramento, quando est in suo termino et complemento, non quando est simpliciter in successione, sed quando est secundum quid, « scilicet in termino. » Unde virtus illa non est successiva, licet sit in successivo, » inquit S. Thomas; non secundum quod est successivum, sed in ejus termino; nec communicatur toti secundum se, sed parti ultimæ, et non parti simpliciter; datur enim illi termino in ordine ad præcedentia, et ideo illo termino datur non secundum id quod est, sed in quantum terminus est.

CXCIV. Ex quibus manifeste apparet, negare S. Thomam quod sacramento, dum in successione est, datur virtus illa, sed dum in termino est; in illo autem termino non est simpliciter, et sub formalitate successivi, sed secundum quid, et ut in termino, et sub ratione termini, et in ordine ad præcedentia assumitur a Deo ut instrumentum; quod potest declarari sic: Quia motus et actio successiva non est præter res, ad quas est motus, quia licet formaliter differat a termino, non tamen entitative, ut diximus; cum ergo actio illa, et motus sacramentalis pervenit ad terminum, manet in termino; non secundum formalitatem motus et actionis, sed secundum entitatem motus et actionis, sub formalitate tamen termini; et ideo illa entitas secundum quod terminus motus præcedentis, assumitur a Deo, et accipit virtutem illam sacramentalem.

CXCV. Dices: Virtus infunditur non ipsi actioni elicite, sed virtuti elicenti illam, ut actio egrediatur

ab instrumento virtuosa; sed in instanti illo extrinseco non egreditur actio ab agente: sed jam egressa est: ergo tunc non elevatur. Respondetur communicari illam virtutem ipsi instrumento elicenti actionem, non elicenti ipsam inchoative et in successione, sed elicenti terminative, et in ultimo instanti, nam tunc etiam verba et ablutio verbi gratia, eliciunt et operantur, quia tunc egreditur effectus in facto esse, sed operantur ratione virtutis præcedentis quæ consignatur illi termino; et sic illud agens quod in illo termino agit, quasi virtualiter elevatur, ut agat etiam in facto esse non solum ablutioem, sed etiam gratiam in anima. Producitur enim in illo instanti ablutio in facto esse, et egreditur ab agente mediante motu præcedenti, virtualiter manente in subjecto quod abluitur. Et sic dicit D. Thomas in quarto ad Annibaldum, distinct. viii, art. v ad primum, quod: « Verbum in quantum faciens, id est, secundum sui complementum simul est cum facto esse. » In illo ergo instanti, adhuc est motus orationis ut faciens, quasi in termino, non faciens quasi in motu.

CXCVI. His suppositis probatur conclusio supra posita, quoniam sacramentum non operatur antequam sit consummatum; quandoque enim restat aliquid faciendum de sacramento, nondum est completa significatio, et consequenter neque operatio sacramentalis dari potest. Sed sacramentum non consummatum ante instans extrinsecum, quia desinit per primum non esse, sicut omnis motus: ergo neque ante illud instans operatur.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

CXCVII. Objicies primo: Nihil potest efficere nisi habeat virtutem